LEPIDI COMICI VETERIS LUCAE 1588.

A. C. Dunn,
Feb. 20, 1932.

The younger Aldus published this work believing it to be ancient and entertaining an exaggerated opinion of its merit, as may be seen in the preface addressed to Ascanio Persio, the Greek professor at the university of Bologna.

Albert Ayb attributes it in his Margherita Poetica to *Carlo d'Arezzo and gives specimens from it.

Though not printed in the Aldine press, as edited by one of the house it seems to belong to the Aldine collection.

It is very scarce & very little known.

* Carlo d'Arezzo was of the house of Marsupini. he died in 1480.

E. C.

LEPIDI
COMICI. VETERIS

PHILODOXIOS

FABVLA,

ex antiquitate eruta

AB. ALDO. MANVCCIO



LVCAE. CIϽ IϽ XXCIIX

DOCTISS. VIRO

ASCANIO. PERSIO

GRAECARVM. LITTERARVM

IN. PERILLVSTRI. ACADEMIA. BONONIENSI

PROFESSORI

ALDVS. MANVCCIVS

S. P. D.

LEPIDAM Lepidi, antiqui Comici, quisquis ille sit, Fabulam ad Te mitto, eruditissime Persi: quae cum ad manus meas peruenerit; perire nolui: & antiquitatis mihi rationem habendã esse duxi. multa sunt in ea, obseruatione digna. quae Tibi, totius uetustatis sollertissimo indagatori, non displicebunt. mihi certe cum placuerint, Tuum cum meo

ſenſu congruere iudicaui. quod Te praeclare norim; qui Tua conſuetudine tam diu ſuauiſsime ſim uſus, nuncq. ea iniucundiſsime caream. Fac me ames; quando ego Te, maximo Tuo merito, in oculis fero.

Vale; & Antonium, fratrem Tuum, & doctrina, & probitate, inſignem, cum ad eum Patauium ſcribes, ſaluere plurimum a me iube.

Lucae. Ex illuſtris uiri, omni liberali doctrina ornatiſsimi, Vincentij Menochij, Alexiano. XIII. *Kal. Nou.* CIϽ IϽ XXCVII

PERSONAE

Philodoxus, adolescens Atheniensis.
Ditonus, senex, Tychiae libertus, Doxiae coaduicinus.
Frontisis, Atheniensis, amicus Philodoxi, & uir Mnymiae.
Potentio, seruus Tychiae.
Fortunius Traßis, adolescens, ciuis R. Tychiae filius adoptiuus: temerarius.
Doxia, matrona, ciuis R.
Firmia, soror Doxiae.
Mnymia, ancilla.
Alitua, virgo.
Chronos, senex.
Tychia, matrona.

FABVLAE
ARGVMENTVM

PHILODOXVS adolescens Doxiam Romanam ciuem amat perdite: estq. illi fide optuma, & singulari amicitia, coniunctus Frontisis, quicum omne consiliorum congerat. Dat operam Frontisis, amici caussa, Ditonum, amatae coaduicinum, beneuolentia sibi ut aduinciat plurimum; functoq. officio, Ditonus fidem praestat rei defuturum se numquam. Dempta vero fide ab his, cauta astutia res omnis agitur, quae ad amorem sit. Post interim Fortunius, Potentionis suasu, hanc Doxiam cupere cum occeperit, datis legatis, acceptoq. repudio, abnegat omnes hymenaeos: quin uel potius ui in aedes subijt: Fimiamque, Doxiae sororem unicam, uitiat. Tandem, Mnymiae ductu, eiusq. reperto uiro Frontisi, edicto Chronos ita perfectum est, ut, sedatis omnibus, hanc compressam hic teneat, hanc amatam hic alter capiat.

LEPIDI COMICI
PHILODOXIOS
FABVLAE

PROLOGVS

NON *diu praeiuit temporis, postquam ebibi: & nescio, an abunde nimis. sed erit uobis indicio, quod debibundo exantlarim quam longe limites, si apud vos loquar barbare. Nunc auscultate, & iudicium date. Exoratum capi uenio, hanc vnam singularem precibus e uobis ut impetrem gratiam: non ad uituperium in postremis dari, si praeter vostram de nobis exspectationem in negotium me ad scribundas fabulas miserim. Quod si hoc sensero uestra pro facilitate e uobis posse, accipiam id pro summo, ut erit, operae pretio: diffundamque, quam hic subgero, fabulam, usque ad fluat in uulgo manus. Hanc & uero, si inter uos familiarem intellexero, animo institutionem ponam fortassis ad procreandas reliquas. Nunc sumite id uestra ex animi humanissimitate, mihique, aetatiq. meae, precibusq. apud uos meis concedite.*

finite, ut exorem. Non quidem cupio, non peto in laudem trahi, quod hac uigesima annorum meorum aetate, hanc ineptius scripserim fabulam. Verum exspecto inde haberi apud uos hoc persuasionis, non uacuum me scilicet, non exundique incure meos obiuisse annos. Datis ne admodum hoc gratiae? Et datis, uideo. Ergo a me cupitis fabulam. Hercle, & bellula est. Insunt, qui ament, qui decipiant, qui construant festos. certiores uos reddo. Haec est fabula. Philodoxios haec dicitur fabula. Quid conspectatis? quid pendetis? Fabulae nomen est. Hem, iam nunc uideo: amplius me uobis notum uoltis. Dixero: Sum cautus demens, & inscitus sapiens. Hoc habetis iam: Nomen Lepidus. ha: ha: hae. & uos lepidi estis. Ergo hanc tenete fabulam.

PHILODOXIOS
FABVLA

Philodoxus.

ET merito superis gratias habeo, qui me hoc aetatis tam libere, tamq. ut uolo, sinunt degere. Quanto enim hoc felicior sum, qui me huc demisit. Non enim ullis, ut ipse omnibus, a flictor curis; quas forte, ut assolet, nunc animo denumerat suo; Sic scilicet debueram: hoc fecissem: recte institueram: forte id dixerit: illuc ipsum erit: at nolim: at malim: dij bone uortant. Merito ergo dijs gratias habeo, quoniam uiuo ut uolo: quod quidem lubertati est. Et profecto grauiter eius caussa animo afficior. Video enim, quam perdite amet; quam timeat; quam affectet; quam exspectet. quae omnia male animum & trudunt, & scindunt, & agitant, suum. Curaui maxime, hoc tantum furoris ab se ut exstirparem. non quiuit. malum enim hoc iam radices dedit nimias. Sed, pro deum, quid hoc

mon-

monstri est? Recte igitur mecum disceptare soleo, qui maior furor sit; an is, quem Mars agitat; an is, quem Venus inficit? Hoc & iam nunc scio: id iam olim scio, hunc nostrum fore plus magis ex amore furibundum. Et quam accurate, quam praemeditato, quam ex opera, hoc me iussit negotij ut conficerem. Haec dixit. Nosti, quod te bona fide diligam: & nosti angiportum, ubi operam omnem, diem omnem, meq. omnem contrito miser. Illuc ito. ibi si quid uideris, si quem transeuntem, speculato omnia. nosti ibi directo ad laeuam, quasi aedibus amatae coadiunctum ostium semifractum, ambesum imbri; ubi Plutonis statua superinstituta est. Aedes illae multo mihi commodo esse poterint; dum in illius familiaritatem, qui inhabitant, nos inserpias. Est, ut hominem conuenias; teq. amico, & uitae meae amicum, & quasi vitam, praestes. Hinc haud commoneo quidquam, nec dum impero. tute sapis, & frugies. Hominem ut agnoscas hunc, aduerte. Est niger, subflauus, barba, & capillo multo; magno indutus pellitio; claudus, & quasi caecus. Haec dixit. Tum abij. huc accessi. hodie iterum, atque iterum, bis quaesiui hoc totum conuiciniae. nusquam hominem. fessus sum. hic ergo opperiar, dum redeat. Sed, quis hic est, qui huc intus eundo interloquitur? Ipsus uero ille est.

Dito-

IAM, ut mihi perſuaſi, forte ita fato euenit. Dum enim ſtudeo obſequi illis fenerarijs, ſtudeo iterum ſeruitutem conſequi. qui quando ſuum ſibi male fraudant genium, ſibiq. uictum diſcarpiunt peſsime, quid cenſes alijs, dum queant, fore? non enim illis meo opere ſat eſt, cuncta, quae ſint ad rem domeſticam, & ſumptum, ſuppeditarier, quin me uelint terum in ſeruitutem redigere. Caecus ſum, fateor. & claudus, fateor. hoc fateor. at non ita, quin uiderim, & abſugerim obportunio. Sed, quis hic ſedet homo? forre ne ex his illis quiſpiam, me ut intercipiat miſerum? Quis tu? & qui hic? audin, quo te admoues? hoc tibi edico: fieri iniuriam libero, qui & meminerit ſemper, dum mihi fiat. audin? Ditonus ſum, olim Tychiae famulus; nunc, eius ob gratiam, & quia bene de re meritus ſim, quia facio omnia eius ex uoluntate, & ſententia, manu me in lubertatem demiſſum audiſtin? iam liber ſum; & te liberior libero. ne me tetigeris. hoc edico, tuo tibi praecaueas dorſo; neue tuae confidas temeritati. *Front.* Pro deum, quam mihi prouinciam delegauit? Non uero magis cupio, quam timeam rem ex ſententia poſſe ſuccedere. *Dit.* Et hercle praeter boni viri officium hoc eſt, uos mihi ſo

re obnoxios, qui studeam, cunctis, & praesertim uobis, me in beneuolentiam subdere. Num quidnam hoc e vobis meo beneficio cómeritus sum. ergo ac si elaborassim, saxa ut liquifacerem, & lateres ut lotos redderem. dij, uestram fidem. *Front.* Volo ego te hoc. *Dit.* Me? at me ne contingas. ne me comprehendas. erit hoc mihi pro ui, iniuria, & dolo. *Front.* At uolo, inquam. *Dit.* At nolo, inquam. hem, quid manum inuehis? O populares, opem, opem, afferte, ligna, perticas, fustes. accurrite. succurrite. sine inquam, sine; ne me detentes. *Front.* Quin siluam aliquam apportari, aut malum, iubes? Ausculta paucis. Volo ego te scire, me uirum, & tibi affectum esse quam maxumo. *Dit.* Quamobrem? quid in te admisi, ut me detractes? ut male hoc mihi studeas misero? *Front.* Dico, me tibi optumo affectum fore animo, non secus, quam qui te ament. *Dit.* Neminem habeo, in quem tuto confidam. noui ego recte, & aetate, & usu, hominum mores. captari amicitias, ut ex amicitia, quasi ex fundo, fructus uel excipiant, uel exspectent; uerbisq. emi operas, & operas uendi precibus. non conuenit te illi amicum fore, in quem dolos fingas. *Front.* Vah, bone uir. ego dum tua pro gratia liceat, uolo tibi esse & honori, & commodo quam plurimo. Non uero licet timere omnia, quae dubites; nec dubitare, si qua saepius incidunt. nec uero omnia, quae saepius fiunt, semper persaepius fiunt.

fiunt. Spondeo ego tibi hac dextra fidem, dijs testibus, & tua uirtute, quam quidem uelim nostrae amicitiae firmum, & perpetuum, fore uinculum. *Dit.* Quis tu? nostin me? *Front.* Ditonus es, amicorum amicis amicissimus. ergo praebe operam obsecro, beniuole te paucis ut alloquar. *Dit.* Loquere. *Front.* Audiui semper, amicos, & viros optimos, qui moribus, & ingenio, polleant, simpli; & aperta, amicitia adeundos fore. aperto igitur loquar: eo quia te fidum, & probum, semper audierim. Adolescens hanc tuam con uicinam amat. Ea, ut opinor, haud aegre id fert. Neque enim inuenustam, neque interraro, se obfert: ceterisq. in rebus, ut coniectura ualeo, utitur amantium officio. Is, eo quia plus nimio hanc amat, & quia plus satis honori inseruiat suo, uellet lares tuos sibi fore familiares: ut inde, absque plebe, & fama, oculos usque adeo depasceret suos. Hoc solum, & hanc ob rem, ego illum, & sua, & me omnem, tibi dedo, & dedico; ut tuo pro iure tibi morigeri simus. hanc facilem ob gratiam, amplam, & promptam in amicitiam, ius tibi praescripseris firmum, & perpetuum, unde tibi vtilitatis, & praesidij, non minimum adquiras. Habemus etiam, superum gratia, nostroq. ex labore, amicosque, beniuolosque, familiares nonnullos; quos, re prospera, & aduorsa, nobis optumos, &, vti deceat, experti sumus; qui pro nobis, & pro qui nos ament, nec rebus, nec uitae parcant suae. Non erit, ut

in

in posterum eos illos fenerarios inimicos tibi quantifacias. Res optumae interdum satis dantur, interdum adtruduntur, interdum demonstrantur quae monstrantur, nimiopere, nimis accurate, petimus. quae trudantur, omni quasi opere abnegamus. Erit (mihi crede) hoc tuum beneficium uiro non indigno, & tibi amicissimo, pergratum. Volo omnia aperto adloqui. Is non ciuis est Romanus, sed Atheniensis, summa ex familia, cui parentes Argos, & Minerua. Accessit huc, ut, rerum plurimarum uisu, foret doctior; neque adeo, ut se indignum hisce parentibus in res dederet. Sed nescio, quo fato, cum hanc adspexit forte in aede Statoris, admiratur, collaudat, respectat, consequitur. ilico amare occepit.

Dit. Est ne is, quem uidi ex hac subangiportu saepius inoperto capite? candidatis pallijs? an uidin tecum? *Front.* Ipsus. *Dit.* Et bonae indolis mehercle. *Front.* Et macte uirtutis. *Dit.* Dij bene illi faxint, ut cupio, & tibi, ut nobis uelis: quoniam digni sitis eorum gratia, & meo obsequio. *Front.* Vah, bone uir, da manum. hoc aedepol, & non iniuria, de te persuadebamus semper. Ergo iussi, ad te ut adueniat, tu ut uirum agnoscas rectius; ipse tibi quod gratias agat, ut habet, tanto pro merito. *Dit.* Velim illi meliora. Sic dicito: Ditonum, & aedes suas, & siquid possim, pro suis ut habeat. *Front.* Recte. optume. probe. *Dit.* Sed, est ne hora ut edamus? mecum eris in cena. *Front.* Semper sum tecum ani-

mo:

mo: & ero alias corpore, ut iusseris. Iam bene uale. *Dit.* Vale.

Potentio. Fortunius.

SIC se res habet, ut uideris. nō poterit secus, quin meam incidas, & facile, in sententiam. *Fort.* Est ne forma? *Pot.* Forma quidem, & moribus, ut nihil addi, nihil optari, amplius posit: adeo, ut aut formosiorem, aut simillimam Veneri, diiudicem. Decorum caput, uenusta facies, adspectus hilaris, modestus incessus, habitudo, motus, omnia; ut & matronam, & Romanam ciuem, conuenit. *Fort.* Nimis ex animo cupio hanc uidere. *Pot.* Faxim: ad idq. operam iam nunc paro. *Fort.* Qui ita? *Pot.* Quia has propinquas, ut uides, superbas aedes ea inhabitat. *Fort.* Et qui potero? unde alloquar? *Pot.* Hoc scias uolim; mature, & attemperate, omnia ut fiant, opus est. praebe te, ut uideat, te uirum, nec impudicum, nec immundum, nec lasciuum primo. tum, te ut cognoscat, & gestus, & mores tuos: teq. primo cum lubens, tum exspectato, ut uideat. demum loquere, & narra. postrema haec munera ab his, qui amant, ut diiudicantur, ita sunt maxima. quae etsi per minima forent, non deceat ab ignoto expetere. Curabimus igitur, primo illam ut uideas.

Fort.

Fort. Tu hoc uolim ſcias. ſtat ſententia. nolo aſsiduo exarare has porticus, & obtundere oculis, & ſuſpirio, foresque, feneſtrasque, foraminaq. & omnia, omnem conuicinium. nolo me imperio nolo heritudini, nolo annutui mulierum, ſubigere. nolo mihi animo id tantum miſeriae obfirmare, quod efficere plerosque uideo; aut affectum me quidquam plus quam ſim metipſi mihi. Praeter uiri boni officium eſt, mulieribus tam certatim affici. quibus tam diu ſiamus in gratiam, quam diu uel Baccho, aut voluptate, ac ioco, ad ſuperfluum uſque completae ſint; uel dum ui munerum tandem extruditur, ut interdum oculos in nos dimoueant ſuos, idq. perparce. peſsimum genus amantium. *Pot.* Hoc totum, quod dixti, minus nihilo eſt. habemus, unde tuto conſpicias, & uerba datatim commutes, dum lubeat. *Fort.* Hem, forte id aliquid eſſet. *Pot.* Habeo uirum; qui, olim conſeruus ut fuit, nunc amicus eſt optumus; a quo facilius quaeque, etſi grandia ſint, impetrem. Is (uiden hanc ſtatuam oſtiariam?) aedes illas poſſidet. hominem conueniam. dicam, uelle ex eius horto aliquid. *Fort.* Et ego una tecum. *Pot.* Minime uolo enim te magnifaciat; oretque, ut in gratiam ſe accipias tuam. *Fort.* Lepidum caput. Ergo. *Pot.* Ergo deambulato. Ego ingrediar, iam cum fores patent. *Fort.* Optume. *Pot.* Heus, heus. et quis hic eſt? & quid fores patent? At domeſticus ſum. mihi ſemper patent. ingrediar. Saluete, lares,

Philo-

HAec commeatio mihi pro triumpho est. hoc totum iter meum prae gaudio est. non possum memetipsum continere. quidquid uideo, iubeo saluere: ac si uelim omnia hoc meo gaudio impartirier. Saluete, etsi mihi satis iniusti forte sitis, saluete, lares optumi; quibus persaepe liceat Diuam & uidere, & audire hanc. Saluete, uos superi, tuque, alme Diuum pater. gratias uobis habeo. Et mi frater, hoc tanto num nam exsultas gaudio? Tibi etiam ingentes gratias, & o ut condignas, exoptatasq., pro tuo hoc tanto facinore, referam, dum poterim. Dixtin? certum hoc est, inde eam audire ut possim? *Front.* Dixi, audias, uideas, uerba adijcias, ut loco, & tempore, liceat. *Phil.* Pro deum, Fortuna, maximi te semper fecerim, si semper. *Front.* Tace, obsecro. *Phil.* Sic oportet, animo ut morem subgeram. sinam, prae gaudio se ut defundat, decursitetq. paullulum. *Front.* Tace, tace, inquam. uidere uisus insolentem egredi, regredi, frequentarium nescio quem ex amici aedibus. *Phil.* Hem, eccum hominem. *Front.* Huc adcede post angulum, aut columnam, ne nos uideant. auscultabimus, quid consiliorum congerant. *Phil.* Hei mihi; quam male nostris rebus timeo. *Front.*

Tace. *Phil.* Hem & Fortunium. abi hinc. Dij. Dij. *Front.* Tace.

Ditonus. Potentio. Fortunius. Philodoxus. Frontiſis.

VBi ipſus eſt? *Pot.* Iam nunc aderit. Sic uollem amicos mutuo inter ſe conuenire; ut liberali animo & conſulerent ſe ſibi, & operas referrent, ſicut nos ipſi inter nos facimus. Non potuit rectius tibi conſilium dari. Sed eccum ab hinc hominem. Salue. opportune aduenis. *Fort.* Saluete. *Pot.* Si ſcires, quam hic cupiat ſe inter tibi familiares ut accipias, tuamq. in beneuolentiam ut conſtituas, iuſto illi amicus fores optumus. *Fort.* Bene uos dij ament. *Pot.* Narraui parentes, ingenium, mores, uirtutes, probitates, ceteraque, ut potui, omnia, non minus, quam ſe res habeat. *Fort.* Dij te ament. *Dit.* Enarrauit omnia. ſed, ſi iubet, dic, quaeſo, qui uere fuere parentes tibi. *Fort.* Thraſo, & Afraelia. *Phil.* Perij. ipſus eſt. hic Fortunius Tychiae filius eſt adoptiuus; cui olim Ditonus fuit ſeruus. inde iam ex ea domo uolt mihi hoc praeripi commodi. perij. *Dit.* Te dudum adſpicio: nunc tua haec uox e memoria in mentem reducit, te ut agnoſcam. bene ſalue. an recolis, cum ſolebam te in ſinu e domo patris geſtare in noſtrā?

Fort.

Fort. Centies. *Dit.* Quam eras fraudicolus? ſemper in barbam, & capillos, duriter conijciebas manum. *Pot.* Semper te dilexit. ut lepide adplaudebat. *Fort.* Ha: ha: haeri. *Dit.* Huc aduortite animo. Numquam ego antea ex ſtudio hanc conſpexeram conuicinā. nam me domi non niſi interraro comperio: & ſat negotiorum habeo, quibus me exerceam. ita dij in peſsumum omnia uortant illis feneraṙijs, qui tanta aſtutia fatigant me miſere in ſeruitutem redigere. Verum nuper, cum domum redierim comeſſatum, accesſit quidam, exorans, hanc eandem ob rem, aedes ſibi ut paterent meae. ſpopondi operam. abijt amicum accerſitum, cuius cauſſa hoc impetrauit gratiae. *Pot.* Quis ille? an quisquam? *Dit.* Athenienſis, cui parentes Argos, & Minerua. *Pot* Vidi hominem. *Dit.* Poſt interim adceſsi ad turrim, & paruum per foramen uidi eam in ſuperiori triclinio fidibus concinentem uerſus de laudibus Herculis ſerio, & diuum. Volo crimen (ſi crimen apud uos eſt) incuſare meum: totum me compreſsi interius neruos. Dixi. *Fort.* Ha: ha: hae. *Dit.* Aedepol forma formoſior Venere. Sed ad rem redeo. Vos amo: & neque uelim, ſi rediret. *Pot.* Rectis habeo: caute id loqueris. *Fort.* Timemus ne illos, qui nihil habeant praeter uitam? quam abs cruce precario poſsident? *Phil.* Dij te malo diuitent. functus officio es. profecto uerba blactis, ut dignus es: & dignum eſſet cloacam aliquam tuis dicterijs reſponſum ut

dederet. cui nihil proprium est, nisi linguã istaec fetida, pessuma, quae in deterius in dies conualescit. *Front.* Tace. in aurem consilia conferunt. *Fort.* Non timeo illos. *Dit.* Nostin'. *Pot.* Pulchre. *Fort.* Quid dixti? *Pot.* Dixit, illos se uelle uerbis obpletos, & spe usque adeo delibutos, abijcere ab se. *Phil.* Perij. nullus amplius sperandi locus nobis relictus est. Tritum hoc prouerbium est: Integra cum fide tuta spes cohabitat. postquam fides disrupta est, spes intereat necesse est. *Front.* Et tritum hoc est, quia, quod tritum nimis est, haud saporem habet. Tace. bono fac sis animo. Vnumquodque iter suum habet exitum. *Phil.* Hei mihi. *Front.* Tace. habeo argutã astutiã. ha. ha. o dij, quid paro? *Phil.* Quid agis? qui ineptis? quid te deturpas tam immundo luto? Dij testes, insanis. *Front.* Hem nunc & capitiũ. *Phil.* Vah, insane, cur aduoluis id cruri? *Front.* Vt taceas: & uideas: & id precor. Quid si uideris licere domum ingredi? *Phil.* Quo is?

Frontisis. Fortunius. Ditonus.
Philodoxus. Potentio.

HEi mihi. hei. ym. m. *Pot.* Quis lacrumat? Quid clamas, chir priape? *Front.* Sic opem exspectabam ut dares. *Fort.* Ebrius. Debacchatus est. non se substinet. *Front.* O caelum. o sol, o luna, o aer, o ignis, opem, opem. hei.

hei.

hei . ym . m . *Dit.* Surge , ne lacruma . *Pot.* Quid habes ? *Front.* Habeo animam inter dentes, & labia . ah . am . *Dit.* Loquere , quid hoc est ? *Front.* Scies . nunc quaerebam Philodoxum . Dum appropinquo, hei, doleo totus prae ictu . *Phil.* Quid nunc animo fabricat suo ? me hic reliquit tanto infortunio , nugis spectator ut sim . *Pot.* Quis te percussit ? *Front.* Dicam . In foro , legati , ex Africa bene re gesta , cum pompa, nunc cum transirent, seduxi me ut uiderem spectaculum inuisum, inauditum , incognitum , immeditatum . triumphum diceres triumphissimum . tibicines . cytharistae. curricula aurata. equi rotati, candidi, maximi . leones . pantherae . simiae . aquilae . sturcones . bubones . monstra . res mirae, & innumerabiles . quae uidere , longe operae pretium est . Interea accessit putus , qui caballum effrenum magnum insedet . hunc concutit calcibus : lacessit . nescio , rem ut duxerit . hoc ex inde adporto noui , crus mihi semifractum esse . *Fort.* Qui legati ? *Front.* Pexumi. *Pot.* Ex Africa . *Fort.* Et sunt pantherae ? *Front.* Vtinam sic illis foret perpetuum cordolium . *Fort.* Pantherae? pro dij, quam uellem uidisse. *Front.* Nolim istac lege , si te amo . Verum , si praesto ieris, etiam uideas . Mihi tam cordi est ea uidisse, quã constitit ibi adfuisse . *Pot.* Quo me trahis ? Quo properas? *Fort.* Ehodum, pantheras, equos, tibicines, pueros, pantheras, ehodum. *Pot.* Maiori etiã in re libere animo satis obsequar tuo . i prae: sequar. *Fort.* Quod nobis

iter tenendum eſt? *Front.* Recta te hac recta: illac ito uerſus forum. noſtin'? aerem uocibus, & tumultu, obpleunt. Rectis audias. *Fort.* Sequere pantheras. *Dit.* Hercle grauiter affi cior tuo hoc. *Front.* Ha: ha: hae. ho. Durius pertractas nimis. perij. credin', poſſe me liberari unquam, ut rectus eam? *Dit.* Bono ſis animo. Eſt hic in tonſtrina Clitimarchus medicus, & bobum, & quadrupedum omnium, & hominum etiam, ſuo pro officio ſingularis. *Front.* Tibi amicus? *Dit.* Magis. *Front.* Quid ſtas? tibi dicón? *Phil.* Me uocas? *Front.* Plane. an cui? *Dit.* Cui dicis? *Front.* Ingredere. *Dit.* Dixtin mihi? *Front.* Tibi. Cur non is ad medicum? intro, hei miſer. *Dit.* Quid intro? *Front.* Hem introducas eum illum cum ſarcinulis, & unguento. *Dit.* Quis introiuit domum? *Front.* Te precor, hominem accerſito. *Dit.* Quis introiuit haſce aedes? *Front.* Quid Introiuit? centum boues reſtim cum cornibus. *Dit.* Hercle introiuit: ſenſi, dum attigit oſtium. *Front.* Bone uir, falſus es. uentus, uentus. abi iam: & quidem ſtas? hei, inſenſate. hui. *Dit.* Quocum alloqueris? mirum, ni aliquis ſit. quis tu? heus, ſi fuſtē ſumpſero. heus, heus. te uideo. *Front.* Et nullus eſt. tibi dico. pro deum. & non te miſeret mei? uides, quam afficiar dolore: quam cogar, te ut ſolicitem. abi, precor. *Dit.* Eho. at crediderim. *Front.* Audi: praebe fuſtem. *Dit.* Quam ob rem? ſede, ſede. *Front.* Dijs gratias. non credebam poſſe ad-

mea-

meare. non ero tam miſer, quam ob dolorem persuaſeram. Duc me, dum calet uulnus. nolim ſolum me hic.

Philodoxus. Doxia. Fimia.

NOn ſine ingenio, perfidia, & animo, fit magnum facinus. mirabar, quid ineptiarum ageret Frontiſis, cum deformarit luto, & geſtu, ſe ipſum. Dij perpetuum hoc mihi faxint commodi. Dij ſecundent paria. pro dij, quam e ſententia res euenit. introiui domum. auſculto. tempto. adgredior. contemplor. reuortor. Interea uiſus audire ſum uocem, uti erat, Doxiae. obſecro operam, dum alloquar. Negat ſe eo in loco ſolitario abſcondito id uelle. et, ſiquid malim, iubet, ſuas ad fores ut ueniam. ibi ſe adfuturam. Sed, quid dicam miſer? neſcio, unde exordium inceptem. hei, miſer. At, quid, ſic ſi dixerim: Amo. ardeo. morior. tu id uides. tu noſti. tu cur hoc uelis, neſcio. ubi pietas? ubi miſericordia? ubi clementia? ubi animus ipſe inſignis, huic tuae pulchritudini condignus? uel dixerim: Si umquam mihi. At at. eccum eam, ſi rectis audio. hei, hei, quam totus diſcrucior animis, prae gaudio, prae cura, prae metu. *Dox.* Adſis, mi ſoror, dum adloquor. adſis, precor. nolim hunc, qui in me honeſto affectus ſit, mea cauſſa

periclitarier. Volo illi hac parua exigua in re morigera esse. ergo ad me. Sed eccum adest. profecto, ut uideo, uel magis amat, quam ha ctenus usquam persuaserim. Philodoxe, dij te ament. accede ad nos propius. *Phil.* Et dij faxint, me ut ames, ita ut condignum est: qui te plus se uelit omni optumo perfrui. Dij faxint, me ut ames, si id liberali officio, honestoq. animo, opto, obpetoque. *Dox.* Dij bene seruent me honori meo, ut cupio, & studui semper. Cedo. quid est, quod me uelis? loquere. *Phil.* Nosti, quod te iamdiu amarim? sed forte non, ut se res habet, ita apud te notum est, quam solicito, & quam firmo, animo tibi affectus semper fuerim. nam, ut recte id uidere potuisti, nimis honori inseruiebam tuo. &, ni fallor, eam ob rem forte persaepius hoc tantum gratiae abs te commeritus sum, uerba scilicet mihi misero amāti dono ut dederes: quibus uitam hanc, quae omnis inter suspiria, & lacrumas, diffusa esset, reficeres; & fugitiuum cor, quod quidē cura adustum sit, uitae restitueres. quae quidem omnia iam olim tuam in ditionē concesserunt. haec enim cum non licuerit, tum non libuerit, facere, non est, quod percuncter. uerum, ut gratias agam tanto pro hoc beneficio, tantoque tuo pro merito; abs teq. ut exorem, dum pro mea honestissima affectione in te mihi aliquid umquam debeat, ut huius tui misereat uitae: &, postquam meo fato sic institutum est, tuus ut sim, malis me uiuum: cum forte emolumento quantulum uobis esse pos-

sim,

ſim, quam interemptum, tua, ut ita dixerim, cru delitate? quod quippe neque laudi, neque in partem commodorum, tibi eſſe poſsit. *Dox.* Quod me ames, & uidi, & cognoſco: idq. accipio animo neque ingrato: neque dum hoc iudico prae nunc male quidquam cordi tuo e nobis aduenire potuiſſe. *Phil.* Hoc fateor. & inde quamplurimum laudis, & meriti, merito commeritae eſtis. & nolim haec dixiſſe, ſi dixiſſe tibi aegre ſit. Sed, ſi licet, pro tua liberalitate, abs te ut exorem, hoc precor, uidendi te ut ſaepius commodum ſit, & poteſtas. *Fim.* Neſcio ego, quo pacto hoc uobis innatum ſit amantibus; ut numquam ſat ſit, quod nimis eſt. *Phil.* Neque obpeto id Nimis; neque etiā id Satis uoſtro ſine commodo uolim. neque dum rem factu difficilem, etſi mihi amplam, & gratiſsimam, e uobis petij. neque amplius quidquam dari opto; niſi ut meam hanc uoluptatem, & conſuetionem, neque duro, neque graui, feratis animo. ſinite, deambulem. ſinite, ut uideam. hoc mihi ad uoluptatem, hoc mihi ad uitam, eſt. hoc mihi fore animi, uolui uobis dicier. *Fim.* Dixti pulchre. Sed ageres rem nobis gratam, te iſtinc ſi abduceres. *Phil.* Quam ob rem? *Fim.* Quia honori noſtro conduceret. *Phil.* Si quidem iuſſeris, egero. nam & tu recte id noſti, quia honori ſatis ſemper dedi uoſtro: idq. ex animo, & ſtudio. *Fim.* Ergo abi. nam uideo quempiam inde ad nos. Vale. *Phil.* Et tu mi, uale, meq. memoriae commendatum habe.

Philo-

EQuidem non inexpertè hoc ipſum dici ſolet: Quom primum, qui ſe ament, ad loquendum coeunt, quia commutuēt animos, dediſcant loqui. Equidem id re nunc expertus ſum. Nam, quom primum quidquam uerborum uolui exprimere, tum, prius ſiquid aderat animae, proſiluit intus eius ſinum; adeo, ut & mei, & uerborum paene, oblitus fuerim, miſer, Debuerā uerba optuma, uerba precantia, uerba collaudatoria, non quae rixam, aut odium, ſed quae beneuolentiā, & amorem, excitarent, nutrirentque. Sic debueram: Vt ſolet alijs amor uoluptas eſſe? mihi, non quod amo, nā nimis ardeo; ſed quod te amo, & uoluptas, & felicitas, eſt. nam & uenuſta es; & bella es; & lepida, lepidula; & moribus, & uirtute, inſignita; & ceteris in rebus ſingularis. Sed, quia me in tanta aegritudine ob amorem conſtitutum uideo, ut meae interdum miſerae mi ſereat uitae, uolui hoc e uobis gratiae exoraſſe. nam & nox, & dies, ſuū peruorſe in me officiū peragunt. Semper quidem meos inter oculos, ſemper animi, ſemper inſita in me es. multa mea cauſſa uelim: multo plura nolim, tuae ne male faciam honeſtati. non ſum meus. tuus ſum, tam totus, quam grandis ſum: & tuus uolo eſſe: meq. ut recipias, precor: uelimque,

&

& me inuito . hoc uelim, tibi fore pro statua lucernaria, dum in sero stas, naturalis, bellula, absque lege, & fictione, uel arte, in pallijs, & crinibus, tandem ut tibi essem aut emolumento, aut uoluptati; mihique, dum te uel ui derem, uel audirem, essem uitae meae uinculum. O dij, aut essem cetera; quia, dum me pertractares, prorumperem in uoces amoenas, canoras, suaues; quod harmoniam saltim adrideres, interdum saltim contingeres. pro deum, quam essem felix. Sed, quin desino amplius ineptus esse? quid, si isti me audissent? & prope sunt: & forsitan audierint, & uiderint omnia. nimis incautus sum. Vero, quid nunc rerum agendum est? abnegandum est otium. Volo meum, omnibus postpositis rebus, fabricatorem fraudum conuenire: & enarrabo omnia, ut re, consilio, & opere omni, omnia conficiat. Sed, quid hi mussant? uolo hinc furtim auscultare.

Ditonus. Potentio.

EGo sic censeo: pro hac prouincia te dignum fore legatum: nam eius mores, longam ob consuetudinem, tibi ex plano patere: ut, si quid incusarint, recusauerint ue, confutes omnia. *Pot.* Ego secus censeo, hanc tibi prouinciam iure delegatam

fore,

fore, quom & facũndia amplius ualeas, &, quis conuicinus ſis, tutius id poſsis. *Dit.* Cenſen? *Pot.* Cenſeo. *Dit.* Stat ſententia? *Pot.* Stat. & ueritas. & optumum. *Dit.* Bene dij faueant. & quid exordiar? *Pot.* Pro, fabulas, & muliebria. aut de anſere, aut de gallo, quaere: aut pro cucurbitis ſemen exquire: aut ſiquid tale. *Dit.* Scin, quid meditabar? priusquam uerba proferrem, quidquam obſonarier. nam digniora, & multo pinguiora, ſe offerant. &, ſi neſcias, plus centies hanc hodiernam interrupi cenam. non poſſum mei compos eſſe, cum ieiunus ſum. *Pot.* In amicorum cauſſa multa ſolent, qui amant, & perpeti, & permittere, quae ſua in re non fierent. *Dit.* Vacua, cur loqueris. Egometipſe mihi notus. ſum hoc ſcito. grauiter adloquar. quid peius, quam ieiune, & incompoſito. s. uentre loqui? *Pot.* Bene. pulchre. probe. Sed, quid nunc temporis quaſi ſupereſt optumi? conuenit non uacuum noſtro condigno opere relaxarier. Ego poſt te adero, ut, ſi quid delires, quaſi qui ad clauum ſedeam, corrigam. *Dit.* Sequere. At paullulum uini. *Pot.* Vt lubet. *Dit.* I. Sequor.

Philo-

SEruitus nulla libera eſt. & nulla libertas miſera. hoc proinde eſt, quod dicunt, Fidem diuam fore, & liberam; quia in ſeruo neque uera uenit ulla fides. Sed non ne ſum uere bardus, uere plumbeus, qui hoc uiderim coniectatim, & praeſcierim diu haſce res omnes meas quaſi ad ruinam ſeducere in procliuis; neque quidquam obpoſuiſſe ſubtentaculi? oportuit ſic dicier, quom adloquerer: hos fore fallaces, peſſumos, infames, ſeruos: perſuadere, ne quid audiant, ne quid credant, ne ue quid reſponſi dedant. haec oportuit dicier: nam norant recte, nimis ut amarem. prae me id fererebam. hei, miſer. numquam potuit hoc in mentem incidere, ut opportune, & attemperate, eas certiores redderem. *Front.* Eho, bone uir, de legatis quam bone ſe res habent? quid narrant? quas legiones? *Phil.* Hem intermedie. *Front.* Quin uel optume? *Phil.* Quia ſuperuenerunt & legati, & debacchati, male ut agerent rem meam. *Front.* Qui? *Phil.* Venerunt, dum eſſem, & alloquebar hic ante aedes, Ditonus, & Potentio. interrumpunt omnia. ſtruxerunt in me, & diuam fidem, multa peſſuma, & contraria, mala. Dum accederent, ſeduxi meme. ij ſic diſcrepant inter ſe. Quin tu ſcelſto, quia facundus. quin tu,

quia

quia conuicinus. muliebria oportet pro exordio: & reliqua. Ego sic facio coniecturam, heluonem illum Fortunium Thrasim, riualē meum: quem, si uiuo: quem. *Front.* Recte ausculta. paucis condicam rem, ut res est. Eram apud Clitimarchum medicum. tum interim reducem se obfert Fortunius. minatur, quod lusos se fecerim. aduocat Ditonum. tractant consilia. statuunt. Sic uerbis meis dicito, ut dixi. & hoc dicito. audi. rectin' habetis? nihil amplius ab eorum dictis potui excerpere. illico spectare incipio oculis, non minus & animo. abeunt. uenio. *Phil.* Ergo, quid hic censeas? *Front.* Censeo? Sic censeo, quia censent nos censere, quod male censeant hoc.

Fortunius. Philodoxus. Frontisis.

PRofecto in hominum uita nihil adprime magis a dijs optumum uideo, quā ut nobis sic succedant bona: tum, ut, si quid uelis, a te ipso exquiras. Bone. omnes me dij amāt, quom mea me mater amat. Sum deus, cum nihil desit. habeo omnia cum dijs communia, praeter uitam. habeo uoluptatem, & uoluntatem, ut lubet. sum & aetate ad uires apta, & uenusta bellitudine; inter primos non postremus. subpeditant pecunia, beneuolentiae, honores, & omnia, omnia. Sunt uae quam plurimi,

qui

qui me efferant laudibus, quibus & bone possim facere; qui uae semper student, quam multa meam in utilitatem, & uoluptatem, accumulare. Si quidem perpetua uita sit, Apollo sim. Non scieram: non uideram: non quaerebam hac in conuicinia quidquam. nunc id totum, quidquid insigne est, ultro obferunt. rogant, ut & beneficium hoc suum, quod quidem haud minimum quam multis foret, dono rogant, ut accipiam. Volo illis morem gerere: adibo: & quam pulchre eam recipiam Doxiã. Quom primum ingrediar domum, iupsero, adferte subsidium. quom accesserit tandem, at paullulum adsurgam: Si uales, & me amas, bone est, dixero. tractabo. amplectar. morsibus cuncta insignibo; omnem ligurriam totam. sic uolim omnes efficere amantes, haec fore munera, quae in amoris pignus dederent, quae se illos in memoriam persaepius reducerent. *Front.* O ineptissime, quam insanis capite, quam blactis. scin, quid uolim. hunc fore illi cloacam; ut interdum illius nates labijs adtractaret, & interdum deglutiret quidquã. *Phil.* Ha: ha: hae. ia. *Fort.* Quis hic adridet? hercle sum uobis an ludus? bene uortam in luctum, si coepero. *Phil.* Fauere, & bona uerba quaeso. *Fort.* Et quid hic stas? *Phil.* Quaesieram hunc. hic non ambulat. *Fort.* Quid? & tu hic es, furcifer? facite, uos ne in postremum hic amplius uideam. *Front.* Renuc haec dicta sunt. At faciam, si obcluseris oculos, hoc pugno ut effodiam. efficiam

pla-

planule, nihil doleas. ſine hoc ſolo digito; quia peracutus unguis eſt. & quam accõmoda te hoc uenit. ſine. *Fort.* Et hoc ad ludos etiam adminiculum datis? quod ſi me irritaueris, furcifer. *Front.* Irritaro caprum, ebrium, dementem. hoc fecero. *Fort.* Quod ſi me irritaris, hoc fecero. faciam, ut tuum illud crus putridum, & contuſum, in gremium recipias, ut adcurſites, & aduoles ad Tibrim: magis etiam ſecus, ſi iuraueris lotum, & nectum una, qui fecem ſudas cuiuis barbare. *Front.* Et quidem hoc iuro: me numquam facies ut curram, ni te ſequár. atque ob pretium dabis ingentes poenas, ad feſsitudinem uſque. & uidebor non claudus, quom uoluero; & non ſine tuo maximo cum malo. *Fort.* Pro, Iuppiter? cur non me in ſolitam iram proueho? Equidẽ non eris potis, Iuppiter, quin hodie hunc mactem. *Front.* O. ha. morare. illuc uenero ad ſolem. ne hic in umbra incaute mihi oculum effodias miſero. Valde ſum amicus hiſce oculis, quibus te olim uidero flagronem in piſtrinum deditum. morare. *Fort.* Sum liber, & nimium liberalis. non conuenit, uerba ut accipias mea. habeo grandius aliquid agere. *Front.* Recte ſcio. habes pyram ſtruere centicubitem. Vin' auxilium? Vale. Vale. *Fort.* Quis hic eſt? Ditone, Potentio. Vbi ſunt hi? conſeducti bibones. & nullus furcifer eſt. heus. oh? at ingrediar.

POl quidem, haud sum ego dimidie media, quo reliqui est, ut liceat loqui. obiuit longe fugam animus prae timore. Dij immortales, qui omnia uident, id frustum animae, quod abest, ad me restituant. Si uiderint mehercle uel magis huius uirginis caussa, quam meam ob caussam, id dico, ne perdita me solam se aduehat domum. Dij immortales, quod numquam audiui, hoc uidi numquam magis. alioquin mehercle mira haec factio miranda est. Dij, hoc crediderim quempiam amare, quod minime uiderit? aut ea in re affectum esse, quam potissimum nesciat. *Front.* Quid turbida es? quid est? *Mny.* Est scelus scelestissimũ. adhuc & ante oculos & uos estis? qui uos indignos humanitate tanto in facinore habuistis. *Front.* At qui? *Mny.* Vt audistis tantos tumultus domesticos? ut noluistis opem ad ferre? ut stetistis spectatores? *Phil.* Hem, tumultus, qui id? *Mny.* Venit Trassis. uoluit. rupit. introiuit. noluit. fecit. abijt. nescio ego, quid dicam. dic tu. non sum mei recte compos. nec ualeo loqui. dic tu, mi uirgo: narra, ut gesta haec sunt. quae rectis uideris, omnia pessuma. *Alit.* Eramus in horto. uenit Ditonus, propius. saluere nos omnes iubet. reddimus uices. praemittit, se ha-

 bere

bere rem facetam, auditū dignam, quam ex poneret iocandi caussa, dum uelimus audire. Pollicemur operas. Tandem haec narrat. Fui nunc una cum istoc in foro penes Fortunium. ibi forte aderat Gnato: quom primum nos respectat, conijcit se in pedes. adcurrit ad nos: Maxumo uos honore dignos plus maxumo sal uere iubeo: quid statis, tristes? soleo semper, quom uos uideo, animo, fronte ue, liberali, & ampla, memet ipsum laetitia in immensum afficere. Ni curiosi alibi sitis, dixero uobis rem mirā, in quam nunc animum dederam. meher cle aduortite huc animum. incredibile hoc uobis uideri sciam, ut quemque uostrum pluris faciam, pluris diligam, quam ego metipsum. Sic res est. Et uero non mirum. caussa in promptu est, perplana, ad unguem usque. Scitis, quia uobis semper sum lepidus, & morigerus. ideo me in amorem delegistis semper. Ergo non possum facere, quin uos amem. Ego uero me haud amo. non sum meus. nihil habeo mei, quod meum sit, nihil. nam scapulas, nates, pariter & genas omnis, & me omnem, quaestui habeo ad cenam, & locaui eas pretio, uapulando. nec sine caussa. nunc re ad id periculum faciam. Nos ambo eramus in sole. stabat una Gnato nobiscum. erant hominum umbrae prostratae ad terrā, ut solet. Tum Gnato, Ditone, haec tua est umbra. aduorte. tua est. hanc medius fidius adprehendam quouis in loco. ut amica est, nusquam absfugiet. & uiden', quia habeo manus iam in capillos? quid dixeris,

ris, eam si fecero nusquam se ut dimoueat? & ponam etiã in caput pedes? hoc uidistis, nunc. at meam conspicito, quia me odio habet, dissidet. neque me sibi adiungi uolt. numquam posſim eam intercipere, toto opido etiam si recursitem. non hercle. at mirum est. Fortunius noster, uir quidem optumus, liberalis, tanta inter hominum frequentia, quibus ad spectaculum hoc stipatus erat, cum homine stipulatur cenam pinguem, & lautam, si, ut se teneat, fecerit. stat pignus. stant testes, arbitri, & concenaturi. Iubet ergo aures ut capiat suas. nunc ito, quo lubet: semper eam contineas. Is adspicit, & ingenti prae laetitia totum discursitat forum. omnis adrident. omnis ingenium collaudant uiri. admirantur. ferunt sententiam, teneri Gnatonem in cenam. Fortunius, uir quidem ut facetus, neque minus liberalior, ultro remittit omnem cenam. iubet atque adcersiri una & colligatos, & spectatores cunctos, Gnatonem ipsum ad cenam in crastinũ; qua in cena ero, aut censor triclinij, aut praeses popinae, aut in yrneis imperator. Tum nos percunctari, quis iste Fortunius. Is narrat altos parentes, profundas diuitias, ingentes clientelas, multa, immensa, & magna, grandia. bellitudinem hominis. probitatem. mores. ingenium. usque nihil desit, nisi consimilis coniux. &, quia nos omnis sibi uicinas, sic & beneuolas amet: quod quippe esset in partem necesſitudinis, sua pro uirili id cupere, eum hunc nubere in Doxiam; idq. uolle; & da-

turum operam, simul ut colloquantur: & facturum: nam sciret optume conuenturas. quippe quom inter se mutuo ament, & uoluntates, & sententias. Negat se tamen quidquam Fortunij ex uerbis dicere: quinimmo illum huius rei fore inscium: sed, quia id res exigat, dixisse. Et nos sic sumus matronae summae Romae: sumus Romanae: quarum sit sancte Diuum Hymenaeum sequi. At is hercle uolo fiat. fiet. Vale. consulto opus est, & abimus in domum. paullo post interim ingrediuntur omnes. strepunt. confringunt fores. conscendunt. nos disgregamur omnes. ego, quia parua stabam intacta, omnia uidebam. quaeritant Doxiam, ea adscenderat fastigium domus. postremo inuenerunt Fimiam, unicam eius sororem. eam asportarunt secum. dixi. *Front.* Vos ceterae ualetis? *Mny.* Valemus, ni hoc de Fimia aegre fiet. *Phil.* Pro dij. quae hominum petulantia. quis furor. quae lasciuies. quae iniuria. Vellem aliqua in re huic fore pro meritis, ut meretur. *Mny.* Dij, uostram fidem. haec acta sunt, ut uidetis: nos eamus, ut hac de re certiorem reddamus patrem, suis in aedibus hoc fore. *Phil.* Bene, Frontisis, comitare has. ego adcedam ad forum, ut hominem, si uiderim, domum adducam.

Mny-

HEi mihi, ſic datur fatis . ſic recipi par eſt. dij ſic mandant . ſic nos & uelle opus eſt . *Front.* Quid ſtas ? cur non imus domum ? *Mny.* Hei , uerſo quam multa meam inter memoriam , quae partim nolim , partim malim , & optem . *Front.* Eſt hominum condicio haec, uelle , & nolle . hoc uelle, & hoc nolle, ſuopte in tempore , prope ſapientum eſt . nolle quae uel oporteant ; aut uelle , quae poſsis ; minime eorum eſt, qui ſibi ſolis & credant, & cupiant. olent ſcelesti ſemper ſuo ſcelere : ſeq. palam ſcelus trahit, parem ut parturiat poenam . non inulto hoc ierit . *Mny.* Non diffido ſic futurum , ut autumas . ſed amplius meam incuſo dementiam, una & uiri mei , a quo iam fere annis tribus habui diſcidiam Athenis , quia denegaui anulos aureos ſignatos,partos ſuo ſudore , quos apud me poſuerat ſeruandi cauſſa . feci, ut ſolent fere omnes, ut ſumus ineptae,mulieres , praeſertim ſi ualeant forma . Volui, precibus , & blanditijs , id expoſceret . poſtridie abijt . Nunc nomen hoc tuum eum illum mihi in memoriam reponit , qui quom,ni hoc feciſſem , degerem uitam non uulgarem, opulentamue , neque oberrarem , ut in dies facio . *Front.* Quid delegiſti uitae tibi ad exercitium hac in urbe ? *Mny.* Ego ſemper totis uiribus,

ut quiui, honestam consectaui & uitam, & gentem. Audieram, huc Romam meum adcessisse uirum. ueni, ut comperirem. & nusquam illum. Cessi domum huius, patris Alituae. huic Chronos nomen est, censor, & praeses excubiarum. hanc habet filiam, quam ample diligat. eam commendauit meae fidei, & regendam, & obseruandam. accepi. amoque illam, ut filiam. hae quidem matronae huius & indole, & ingenio, familiarissime delectantur. contraxeruntque, mea opera, inter se quasi necessariam consuetudinem. sunt persaepius, stant una. conferunt. condicunt inter se consilia. postremo omni de re certiorē me reddunt. nimis concredunt, nimis obsequuntur mihi. *Front.* Dic, sodes, quid tibi nominis? *Mny.* Mnymia. *Front.* Voluisti potius anulos perdere, quam uiro reddere? *Mny.* Neque negabam redditum, neque dum perdidi: sed, ita, ut fit, mulierum more, subinsanibam. *Front.* Demum amisisti anulos, & uirū? *Mny.* Si mihi sic foret uir, ut sunt anuli, pluris tenerem anulos, quam instituerim. Satis illum exspectaui. satis sum functa meo officio. forte illos huic uirgini dono dedero, quom satis longe iero in moram. *Front.* Et habes anulos? *Mny.* Habeo: teneo. seruoq. illos. *Front.* Tu, si uirum tuum uideris, noris? *Mny.* Quam ob rem tu id dicis? *Front.* Vt comperiam illum tibi, quia te satis amo, ut digna es. *Mny.* Ha, mi uir, nunc te nunc primum cognoui, quom in aciem intendi uisum, & quam es non

simi.

similis solito? quam deformis? quam cognitũ difficilis? *Front.* Sic fit, quando commutent mores. neque minus tu omni in re & durior, & difficilior, mihi uideri solita es, quam nunc uideare facilis. *Mny.* Bone gaudeo, ut optume est, nos nobis compertos esse. Da te, ut amplectar. *Front.* Renube. *Mny.* Cupio. *Front.* Bene est. *Mny.* Bene iam fiet sacrusicium dijs tanto pro dedito. mi uir, ualuistin'? *Front.* Satis. *Mny.* Ecquid tibi cum illo hoc adolescentulo? *Front.* Optima, & aperta, beneuolentia. ampla, & continua, familiaritas. firma, & simplex, amicitia. *Mny.* Ecquid hic stabatis? *Front.* Dicam. Is amat Doxiã hanc tuam adsiduo: quam ut desiderat, ita ego malim illi fore coniugem: & laudo coniugium, aequam quorum cumque ut contineam sortẽ. precorq. eius uoluntatem meis uerbis cum ualeas coniunctione cum his, tum nitare animo, & omni opere, tua solicitudine hoc coniugij ut fiat. *Mny.* Mi uir, salue. gero tibi morem, ut iubes. Ibimus ambo, haec uirgo, & ego. curabimus rectius omnia. &, ut opinor, possum bonam tibi exspectationem polliceri. curabimus, persuasione, & precibus, rem ducere, ut uelitis. Mi uir, salue.

PRo, dij immortales, quantum habet uirium dissuetudo? quam est efficax ad scindundas omnis, etsi firmas, amicitias. Equidem sic existimo, fieri si posit, quempiam secum aliquot temporum, ut neque colloquium, neque ulla in re consuefactionem habeat, effici, ut sese aut breue, áut nihil, diligat. *Chr.* Audiui. auscultaui. habeo omnia. meae nunc erunt partis, facere, quod iure agendum iussero. *Phil.* Propterea timeo filiae tuae, fortasis non bene. quippe quom ea domi neque dum sit: quam inter eundum cum Frontisi liquerim. *Front.* Quis me nominat? hem, eccum nostros. *Chr.* Agedum, quid uis fieri? *Phil.* Nihil, nisi citus ut aduenias, dum id queat. *Chr.* Forte credideris, quia grauesellus sim, depontanus, minime quod ualeam cursu. adcurrerem. & praecurro, dum lubet. nunc sic eo. nimis exspectato hoc ab me affectas opere. uiden' iam attigimus aedes. & prope iam erimus. *Front.* Volo aduolare ad illos, ut hominem onustum meo partim, & suo, faciam gaudio. nam scio coniugem ut ualeat dicendo, & apud hunc senem gratia, & facilitate. hoc scio, quia conficiet rem ex sententia. aduolo. *Phil.* Nimirum deterius hoc integrascit. dic, dic. narra. quid portas nuncij? quid? *Front.* Omnia,

quae

quae nosti, mala, & grandia quaedam bona, quae scies, & admirabere, & conlaetabimur. *Phil.* Conieceram me in pedes, quom primũ uideram te accurrentem, quia timide timebam pessuma. *Front.* Vbi offendisti tam extimplo patrem hunc uirginis? *Phil.* Aduectabat se domum. me hercle numquam uidi hominem tardiorem. *Front.* Confectus aetate iam est, & annorum plenus. *Phil.* Quin imo iuniorem se, uelociter, & cursu ualidum, & tam se dimouet, quam si habeat calculos omnis, ad unum usque dinumerare. *Front.* Veniet. ueniet. *Phil.* Et quid hoc est boni? narra, me ut impartias tua laetitia. *Front.* Scin, tecum, quam saepius explorarim tum fortunas, tum ineptias, meas, qui ab uxore fecerim deuortium? & quam dictitabam si adesset, nollin'? *Phil.* Bone. *Front.* Eam comperi. *Phil.* Hem, ubi ea nam est? ualet? *Front.* Valet. estq. promonstratrix eius uirginis Alituae. est asidua illis in aedibus familiarissima. tractauirem, ut debui. ea introiuit, ut fierent, quae iussi, omnia. bono sis animo. laetare. Nunc uolo hunc conueniamus senem, postquam adsit. Salue. *Chr.* Quis tu? Hem, salue. adfuistin his rebus, dum fierent? *Front.* Noui omnia. *Chr.* Vera haec sunt, ut audio. *Front.* Quidem. *Chr.* Et de filia, satin' res ualent? *Front.* Non male. *Chr.* Ecquis his actis caussam dederit? *Front.* Nescio. praeter hoc aliud quidquam. At opinor, & fortassis non uano, hunc Ditonum fuisse hac in

caussa

cauſſa primarium magiſtrum. *Chr.* Iubeo: tu illum ad nos citato, & meis dictis abi. tu iube diſpoſci eas omnis mulieres huc in publicum, quia uelim librare omnia, & ſcire rem, ut fuerit. ito. praeſto haec ut fiant, uolo. non poſſum diutius adſiſtere.

Tychia. Frontiſis. Chronos.

ME miſeram. eccum ſenem ante aedes. iam non ero potis quidquam, ut inſtitueram. uortundum conſilium eſt. ob id hominem adibo, tum ut percuncter, quid in nos animi paret, tum ut ſedem, ſiquid irarum inſurgat aduorſum. Neque uero habeo cauſſam omnino iniquam, neque inuſitatā. atqui non ſunt indigna adoleſcentulo. Non uero ea ſunt grauiter habenda, quae aetas ſuo quaſi iure exigat, & expoſcit. omni in aetate multa, ut ſua, praetermittenda, multa toleranda, ſunt. Sed hac in re, ſi quid eſt, quod doleam, id ſolum eſt, quod me inconſulta hoc fecerit, quod hercle non me inuita feciſſet facinus. Volo enim animi uiribus, & audacia, ut uehementer ualeant, quos delecto, quos ue admitto. hoc uolo. Sed uolo hominem conuenire. Saluus ſis, Chronos. quid operis hic eſt tibi? *Chr.* Quaſi id neſcias, aut praeter uoluntatem tuam hoc inciderit mali ſceleris. Sic oportuit in ciuem liberam?

Ty. Scilicet paũcis. *Chr*. Loquere. *Ty*. Scio, quae gesta hic sunt. hoc fateor. quae quidem, si me conscia fuissent, etiam id dicerem. nam nulla ex parte se dederent, ut uererer quidquam. Si uero libera est, libere, & liberum sibi delegit, adsciuitq. uirum, quem uolt, quem teneat. sub aequo, & bono est. dixi. *Chr*. Pessuma es. femina es. ergo tam liberas oportuit fieri nuptias, scelestissima. confringere, turbare, apportare uiribus, & ui, sic nuptam. Volo hominem adcersi iubeas illico. *Ty*. Fecero, si iupseris. *Chr*. Iubeo. *Ty*. Eodum, bone uir, nostin filium? *Front*. Saepius. *Ty*. Noueris aedes meas? *Front*. Tutius, si monstraueris. *Ty*. Recte adhibe animum. hac recta ad publicanos. tum uorte ad laeuam usque ad pistrinum. demum conscende ad plateam. ibi ad dextram uideas umbonem ante aedes illas appensum: ubi de more haec inscripta sunt aureis litteris: *Nisi. iam. forte*. Illae meae sunt aedes. aduocato gnatum. intellextin? *Front*. Non ausculta ui. neque umquam comperirem. iube ex his tuis unum. *Ty*. Dij te perdant.

Mn

Mnymia. Chronos. Tychia.
Alitua. Doxia.

SAlue, mi ſalue Chronos. *Chr.* Vbi eſt gnata? *Mny.* Intus iam nunc aderit. *Chr.* Satin ſanae res ſunt? *Mny.* Satis. adite huc ad nos. Chronos hic. *Ali.* Salue, pater, *Chr.* Acta haec ſunt, ut dicunt. abruptae fores. ui preſſum, & deportatum. *Ali.* Acta, mi pater. *Chr.* Pro, Iuppiter, numquidnam edixi illum adcerſi iuberes ſceleſtiſsimum? fecero hodie, meritas poenas ſenere ut luat. iube illum. iube extimplo. *Mny.* Quem uis adcerſi? *Chr.* Eum illum truculentiſsimum hominem. *Ty.* Mea tu, precor hominem exoremus hoc gratiae. Chronos, ni uiderem haec, quae paras, omnia huc tendere, ut his, quibus illata uidetur iniuria, par fiat, non eſſet, quin dubitarem tuam in gnatum ſententiam. Verum, quom & ipſe cognoſcas, & a iuuene, & ab eo, qui grandiori amore affectus ſit, & in quem facile patiatur, haec acta fieri: cenſeo non abs tua iuſtitia alienum, ſi partim pietati in nos, partim & humanitati, tuae concedas. Sine, te ut exorem. face in te coniecturam. finge in filiam ſiniſtri quidquam. comprehendes, quam peruorſe in te omnia redundent mala. *Mny.* Mi Chronos, ha redde te dignum ſolita, & manſueta, humanitate tua. ſine, te exoret.

Chr.

Chr. Quid eſt, quod uelitis fieri? *Ty.* Velim mihi matri hoc ut fiat gratiae: quam ſi feceris, feceris rem aequam pariter, & his omnibus gratam. *Mny.* Mi Chronos, ſponde, obſecro. *Chr.* Loquere. *Ty.* Volo illam filio fore coniugem. *Chr.* Dum ea id uolit, & eius, quae hic eſt, ſoror. *Ty.* Ea exſpectato hoc uolt, & eius ſoror annuit. hoc uideo. & uolt hercle. uolt. uolt, quidem rem bonam. mi bella, mi lepida. hoc uis, ſcio. dic uelle. uolt Mnymia. *Mny.* Et fiat. *Chr.* Vin' fieri? *Dox.* Dum in rem noſtram conducat, uel id uelis. *Chr.* Ergo nubat. *Ty.* Dij te ament. Dij perpetuum te ſeruent. ibo domum, filium ue in nuptias traham. *Chr.* Bene. quid ergo hic reſtat? uolo remeare ad forum.

Philodoxus. Frontiſis. Mnymia.
Chronos. Doxia.

SI ob meam in te ſingularem obſeruantiam commeritus umquam ſum, a te ut poſsim quidquam; nunc precor id omne, non quod debes, ſed quod poſſis, in amiciſsimi cauſſa, ut ſemper ſoles, exhibeas. ego me ipſum, me me omnem, tuae dedico, tuae relinquo, fidei. *Front.* *Front.* Vah, quaſi. *Phil.* Non. immo, quia nimis cupio, nimis ardeo. *Mny.* Mi uir, bono ſis animo. Duxi omnia, & tracto, ut uis,

&

& debeo. *Chr.* Quid conloquimini tam seducte? *Mny.* Hunc meum nouo repertum uirum adloquor. *Chr.* Is ille tuus est? *Mny.* Meus ipsus. *Chr.* Gaudeo. Ecquid est, quod tractas? si quid ualeo, dicito. *Mny.* Optume dicam. Hic adolescens Atheniensis est. noui parentes eius uiros probos, & primarios nostra in ciuitate. Is uellet, mea, & tua, opera, hanc Doxiam nouam sibi nuptam fieri. Ea, si ualeo coniectura, non omnino id recusat. credo, si eam aduoces, nostra persuasione perfici, ut huius exspectationi, & desiderio, satis fiat. *Chr.* Ergo, quin aduocas? *Mny.* Mi Doxia. huc ad nos, anime mi. Scin, quid inter nos confabularimus? laudauimus de sorore coniugium, & admirabamur prudentiam, & humanissimam facilitatem tuam, pro eo, quod apud te his in rebus, quae optimae sint, non precibus, neque dum ampla persuasione, opus sit, qui, ut omni ex parte tibi simus honori, & commodo, perpetuam & curam, & diligentiam, capimus. Narraui praeterea, quo in te animo Philodoxus sit affectus, quid exposcat, quid uelit nostro opere, & precibus, fieri. Consulebam senem, quid censeret. Is adprobat. collaudat. eamq. ob rem huc te accersiuit, ut certiores nos redderes, quid tibi animi sit in nuptias. *Dox.* Scio, uos ea uirtute praeditos, ut possim tuto uobis & credula, & morigera, esse. ego & coniugium, & reliqua omnia, uestra ex uoluntate, & sententia, accipiam, & recusabo. uos id uidete,

quo

quo me in ludo constitŭatis. *Phil.* Hei mihi, quam timeo hunc senem, ne deficiat persuadendo. Frontisis, uiden', quo in periculo res nostrae sint? subijce adminiculi quidquam, ut conuincamus. age. *Chr.* Hoc uelim scias, me non ex toto adprobare, uirginem, & bellam, diu domi sedere. Quod etsi plerumque fiat, tum quod non adsit, cui digne connubat, tum quod in grandiorem familiam malint rem suam, non tamen perinde laudarem id abs te fieri; uel quia sola restes, quod quidem suspicione non uacuum est; uel quia cetera omnia, quae in connubijs deliberandi caussam solent adferre, longe cessent. Nam neque dos, neque adfines, neque mores, ulla ex parte se praebent, unde merito recuses nuptias. Dixi. *Phil.* Et pulchre. dij te ament. ah, mi, obsecro. *Mny.* Mehercle dixti, ut res est. Necesse est has fieri nuptias. uolo, fiant. Da manum. hic tibi sit uir. haec tibi sit uxor. uoltis? *Phil.* Volo. *Mny.* Et tu id uis? quin dic malle. Volt, hem. *Dox.* Volo. *Mny.* Bene est. *Phil.* Dij immortales, quis hunc meditato hoc dixerit? sum admodo beatus. Plaudite hoc meo bono. Plaudite.

FINIS